



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac  
Vita Existentes, Firmata**

**Stengel, Georg**

**[S.l.], 1645**

§. 3. Dei, erga Mundum magnum & paruum, cura monstratur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

*exemplis veteris Testamenti docetur.* 3

efficiendis, quae Dei sunt, omnia auxilia conquiram: sed ita, ut non in externis adiumentis spem meam, sed in ipso Deo bonorum omnium effectuore constitutam putem. Quod si, inter haec subsidia efficiendiq; instrumenta, se unum esse vult, libenter eo utemur: sed ita demum, si intelligat, nos ab vno Deo pendere, Deo non hominibus niti. Id ut faciamus omnes, multa nos exempla docent: è quibus pauca se-  
ligam.

§. III.

*Dei, erga Mundum magnum & paruum,  
cura monstratur.*

Atque in primis illud, quod D. Damasce-  
nus, ad Conseruatoris agnitionem, egregie  
explicat. Nam cum naus, remoto Guberna-  
tore, consistere nequeat, verum statim pessum-  
eat; nec vlla, quantumlibet exigua, domus sta-  
re possit, nisi sit aliquis, qui ipsius curam gerat;  
quo nam tandem pacto mundus, opus vsq; adeo  
ingens, atq; ita praclarum & admirandum, si-  
ne eximia aliqua, & ingenti atq; admiranda  
gubernatione, sapientissimaq; prouidentia, tam  
diuturno temporis spatio, constitisset? Ecce e-  
nim quantum iam temporis fluxit, ex quo cae-  
lum est, nec tamen obscuritatem contraxit;  
nec terra vis tam diu pariens elanguit; nec fon-

S. Ioan.  
Dama-  
scen. l. de  
Vita Bar-  
laam &  
Iosaphat.  
Iacobo  
Billio  
Prunæo  
interpræ-  
te.

4      *Cap. I. Relictos à Deo curari,*

*tes, ex quò orti sunt, scaturire destiterunt; nec mare tot fluuios excipiens mensuram suam excessit; nec solis ac luna cursus immutationem ullam subierunt; nec diei ac noctis ordines inuersi sunt. Quòd si Deus elementis adest, si terræ prouidet, si maria curat, si totâ Mundi domum tam diu, tam accuratè sustentat, Mundo ipso nec sentiente, nec pro se sollicito; quid sperare poterit homo, cuius caussa & elementa, & totus hic orbis est creatus? Qui sepem curat, an hortum negliget? Qui fementi vigilat, num dormiet messi? aut pilum, quomodo pellem pluris faciet?*

§. IV.

*Ubi alij desunt, Deum non deesse.*

Cùm autem tanquam communis parens omnibus prouideat, maximè tamen curam gerit eorum, qui aliunde deseruntur. Laudat Photius Patriarcha Constantinopolitanus, *Sanctorum virorum librum*, Græco auctore incerto conscriptum, in cuius libri septimi fine, apud Rosveidum, senem junior interrogat: *Si fuero in aliquo loco, & nata fuerit mihi tribulatio, & non habuero, cui me committam, & indicem passionem animi mei, quid facio?* Cui senex respondet: *Crede in Deo, quia ipse mittet Angelum & gratiam su-*

*am;*

Photius  
biblioth.  
cod. CX.  
C. VIII.  
Rosveid.  
lib. 5.